Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26077
Copyright: Admont, Benediktinerstift



sed de terra aquas habe. Et uocat eos ad fletum. beati enim
flentes. quia ridebunt ipsi. & ad planctum ne postea audiant.
lamentauimus uobis. & non planxistis. & ad caluicium ut omnia
opera mortis radant & auferant de corpore suo quicquid
non uiuit in corpore. & ad cingulum sacci. ne postea iuxta ieru
sale pro cingulo. recte reste cingatur. Illi autem e contrario pro fletu
& planctu caluicio & cilicio gaudium habere atque leticiam. & quasi
si morte omnia finirent occidentes uitulos arietesque iugulan
tes. & ut comederent carnes & biberent uinum. locuti sunt uerba
plasphemantium. Dum in presenti seculo sumus. deliciis afflu
amus. crastina enim dies hoc est futurum tempus. sine sensu erit.
uerba Illis ista dicentibus. audiuit dominus plasphemie & comminatus
est non se dimissurum esse hanc iniquitatem. donec aut pec
cato moriantur. aut uitiis. aut cum delictis suis ad inferos
pertrahantur. Quod quidem non solum de hereticis. sed de omni potest
intellegi peccatore. qui neglegens peccata sua desperatione
fit peior & uoluptatibus irretitus iungit peccato plasphe
miam. ut omnem sensum uiuentium putet morte finiri. di
cens illud epicurus. post mortem nihil est. & mors ipsa nihil
est. Hec dicit dominus exercituum. Vade ingredere ad eum qui habitat
in tabernaculo ad sobnam prepositum templi. Quid tu hic. aut
& dices ad eum. quasi quis hic. quia excedisti hic tibi sepulchrum. excidisti
in excelso memoriam diligenter in petra tabernaculum tibi.
Ecce dominus asportare te faciat sicut asportatur gallus gallina
cius. & quasi amictum sic subleuabit te. coronans coronabit te.
tribulatione. quasi pila mittet te in terram latam & spatio
sam. ibi morieris. & ibi erit currus glorie tue. ignominia do
mus domini tui. & expellam te de statione tua. & de ministerio tuo
deponam te. Et erit in die illa uocabo seruum meum heliachim
filium helchie. & induam illum tunica tua. & cingulo tuo
confortabo eum. & potestatem tuam dabo in manu eius.